

missionis tempus ignoremus, in causa est. Si Oeconomus domus Achabi gessit, senior 100, annis quam ceteros Prophetas, quorum scripta supersunt, constitueretur oportet. Quicumque vero praedicta ab illo mala, ab Idumaeis inferente Sennacheribo perlata, contendunt, illi Achaz & Ezechia Regibus Juda coævum faciunt. Nos ex ejus scriptis deduxisse confidimus, post everfam Jerusalem eadem, qua Jeremias, aetate vixisse. His autem persuademur.

Abdias ultimum excidium Idumaeae minatur; in eam etenim superventuros subito incursum tanquam fures hostes, praedamque universam deportaturos, abdita quaeque Idumaeae scrutaturos, ac tandem Idumaeos ipsos de regione sua depulsuros praedicit (i). Hac autem mala, inquit, in eorum caput ab ipsis foederatis suis, eadem cum ipsis mensa utentibus imminet [k]: quod ipsis merito injustitiae suae & crudelitatis in fratres suos Juda exercitae inferetur [l]. Exprobrat enim Propheta caedes & immania quaeque scelera, quibus in miseros saevierunt, cum ab hostibus fusi, dissipatique, atque Urbibus suis spoliati, tum & Jerosolyma inter viduos forte divisam palantes fugerent; tunc enim Edom mixtus cum populi hostibus in eorum cadem conjurabat. Norint proinde, ait Abdias, Idumaei se in exemplum ultionis venturos (m), eodemque, quo caeteri, fato disperdendos. Tunc malo suo discent, neque de Regno Juda desolato plaudere, neque deductis in captivitatem insultare, nec tandem per captam Jerusalem compita discurrant, nec exitus viarum obfidebunt, ut salutem fugam quaerentes (n) interficiant. Hac plane omnia Judaeos mala jam premebant, cum Abdias in Idumaeos vaticinaretur; quare Jerusalem jam captam, Judas captivus detinebatur.

i Abdias ver. 3. 6. 7. 8. 9.

k Ver. 7.

l Ver. 10. 11.

m Abdias ver. 15.

n Ver. 12. 13. 14.

Post praenunciata deinde Idumaeis mala à Chaldaeis inferenda, alia deinde à Judaeis imminetia persequitur; praedicit enim futurum tandem, ut Jerusalem restitueretur, vetus sanctitas & religio montis Sion redeat, totaque late ditto olim à Jacob possessa veteres Dominos agnoscat; atque ita restituti Israelitae, veluti advecto in Idumaeam igne, eorum regionem in paleam modum accendant, jugumque Idumaeis injiciant (o). Tandem non obscure praedicit futuram Judaeorum & Israelitarum liberam in Patriam restitutionem. Ex his omnibus aperto satis argumento demonstratur, Abdiam Prophetam egisse in Tribu Juda post captam Jerusalem, eo temporis intervallo, quod inter captam Urbem usque ad desolatam Idumaeam armis Nabuchodonosoris, anno 23. ejusdem Principis & 5. post everfam Jerusalem & Templum (p), intercessit. Nec est quod miremur, si Propheta post everfam Jerusalem in Juda oracula fundebat. Jeremias à captivitate immunis fuit. Propheta Habacuc, de quo Dan. 14. 32. &c. in eadem regione vivebat, cum populus in captivitate detineretur.

Verficulus quartus Abdiae, ex Oraculo Balaam de Cinæis (q) descriptus videtur. Verficulus 8. & septimus cap. 49. Jeremiae totidem ferè literis consonat, quemadmodum & verficuli 9. & 10. ejusdem Prophetae cum 5. & 6. Abdiae; pariterque verficulus 12. Jeremiae cum 16. Abdiae. Tandem verficuli 1. 2. 3. 4. Abdiae respondent verficulis 14. 15. 16. Jeremiae. Uter eorum ex altero transcripserit, facile definitur, cum Jeremias Oracula in Idumaeam funderet rerum potente Joachim, vel ut scribit, Sedecia [r]. Solemne est autem Prophetis, alterum alterius verba de eodem argumento usurpare (s).

o Ver. 17. 18. 21.

p Joseph. Ant. 110. c. 11.

q Num. 24. 21.

r Vide not. Comment. in Jerem. 49. 1. Confer Mic. 4. 1. & Isai 2. 2.

I N J O N A M

PROLEGOMENON.

IN universa duodecim Prophetarum historia nihil Leviorum admirationem occupat magis, quam de rebus à Jona gestis narratio. Eo consilio à Deo vir excitatus videtur, ut luculentum de maximo & abstrusissimo nostrae religionis dogmate, nempe Resurrectione Jesu Christi, luculentum, inquam, in se praebere documentum. Voluit Deus in eo viro non simpliciter tantum sermone comprehensam figuram exhibere, sed spirantem quandam imaginem rerum futurarum exprimere; cum scilicet post tridui moram de ventre ceti incolumem illa sumque eduxit (a), Quod verò ejus memoriam inter Propheta-

tas veteris Testamenti egregie commendat, illud est, nimirum unicum fuisse ad gentes missum Prophetam. Ninivitarum conversio veluti pignus habenda erat certum assertumque futurae Infidelium ad fidem traditionis, atque Ecclesiae Jesu Christi super everfae Synagogae ruinas erectionis.

Galilaeus erat genere, oriundus de Get. Opher (b), quam Urbem cum Jotapata, in bello deinde Judaeorum cum Romanis, obsidione à Josepho tantae rei militaris peritiam simul & virtute toleratam, celebri (c), confundunt. Sita erat in Tribu Zabulon (d), ubi parvula regio Epher vel Opher, in qua Get, urbs Prophetae patriae.

a August. lib. 18. de Civit. c. 30. Jona Propheta non tam sermone Christum, quam suam quendam passionem prophetavit & professus aperit, quam si ejus mortem & resurrectionem voce clamaret.

b 4. Reg. 14. 25.

c Joseph. 1. 3. c. 11. 12. d Josue 19. 13.

ria. Hanc S. Hieronymus Praefat. in Jonagemino à Sephori lapide Tiberiadem versus constituit. Quae omnia apertissime erroris convincunt opinionem Judaeorum, Jesu Christi aetate autumantium, neminem Prophetarum de Galilaea proditurum (e). Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilaea Propheta non surgit. In Galilaea pariter Nahum ortus est, quamquam de Tribu Simeon originem referret. Sunt tandem, qui Malachiam de Tribu Zabulon, & urbe Supha acceperunt (f). Variant Rabbinus de Prophetae Jona origine; alii enim Viduae Sareptanae filium, quem Elias suscitavit, constituunt (g). Ducuntur autem in eam opinionem à verbis ejusdem Viduae ad Prophetam post filium vitae restitutum: Nunc in isto cognovi, quoniam verbum Domini in ore tuo verum est; ex quo inditum eidem puero nomen filii Amalbi, quod in Hebraeo sonat veritas. Bella conjectura! quae sola evertendae Judaeorum opinioni potius quam confirmandae sufficeret, nisi à Scriptura duplici apertissimo argumento falsitatis argueretur. Primum enim Jona oriundus à Get. Opher, loco plane à Sarepta remoto, dicitur. 2. Sub Joas & Jeroboamo Regibus Israel agebat, quorum postremus Regnum inivit post 60. annos à sublato in Galum Elia. Autamarunt alii; Jonam parentem habuisse mulierem Sunamitidem (h), cuius filium Propheta Elifeus & nasci & triduo post extincto vitam precario à Domino impetravit (i). Verum altera plane erat Sanam à Get. Opher, ejusdem viri patria (k); illa est enim Urbs Tribus Issachar; hac Tribus Zabulonis. Non defuerunt, qui audivisse credant Prophetam illum ad Ramoth Galaad missum, ut Jehu in Regem Israel consecraret [l]. Hac omnia eadem fide traduntur, ac fabella de ortu ipsius in Caribham ad Afod ad Mediterraneum (m), atque oraculum eidem viro imputatum in hanc sententiam: Cum gentes plurimas Jerosolymis conspexeritis, ab occiduis nationibus funditus urbem delendam noveritis. Sicut & alterum de evertenda Urbe Jerusalem: Cum lapis miserè plorare conspicietur; quibus verbis Jesus Christus lapis angularis designatur, super praevisa mala urbis Jerusalem lacrymas fundens, Luc. 19. 42. Sed apage apocrypha.

e Jo. 7. 52.

f Pseudo-Epiph. & Pseudo-Dorotheus. c. 63. Reg. 17. 17. & seq. Vide Hieron. Praefat. in Jon. Pseudo-Epiph. Pseudo-Dorotheus. Question. ad Antioch. in append. oper. S. Athanas. quae. 65.

h Ita ex Patribus nonnulli.

i 4. Reg. 16. 17. 36. 37. k 4. Reg. 16. 17. 36. 37.

l 4. Reg. 9. 1. 2. & seq.

m Pseudo-Epiph. Pseudo-Dorotheus. & Chron. Nic. Pass.

n Pseudo-Epiph. c. 6.

o 4. Reg. 14. 25.

p 4. Reg. 14. 25.

vim declinaturus, de regione sua dilabi, conscensaque in Joppe navi Tharsum Cilicie solvit. Vix iter iniverat, cum subita quaedam tempestas oborta, navigium corripens, nautis suspicionem induxit, extraordinario aliquo casu hanc sibi calamitatem accidisse. Jactis igitur fortibus, eo indicio Jona deprehensus est, qui fugae suae causa exposita fuisset, ut se in mari desecto & mari & nautis quietem procurarent. Vix undas ruens attingeret, cum marinum quoddam monstrum subito accurrens, virum deglutit, abditusque in immanis ventris claustro, tribus diebus & tribus noctibus illaesus servatus est. Post tridui carcerem, in litore expositus, salvis incolumisque ire iterum Ninive à Deo iussus, paruit. Urbem igitur ingressus, altè edixit futurum, intra quadraginta dies Urbem subvertendam. Ejus verbis terribi Cives omnes, ne Rege quidem excepto, ad poenitentiae studium conversi, Deum pacare, simulque imminens jam flagellum evitare nec frustra conati sunt. Jona minime impletam Oraculi sui fidem intelligens, alto dolore sauciatus, querelas ea de re suas ad Dominum tulit, versabatur autem in parva casa extra Urbem, quam virens quaedam planta in Hebraeo Kikion, in latino Palma Christi, tegebat. Accidit ut vermis quidam radicibus ejus planta vitiat, & demitti primum, passisque foliis lassescere, ac demum arefcere coegerit. Ea doloris accessione altius ejulans Propheta, quippe quem intolerabiles solis ardores urebant, cum Deo questus est, rogavitque, ut se tandem de vivis subduceret. Cui Deus: Tu ergo tanto doloris sensu tangeris, cum amica tibi umbra sua planta exaruerit, planta, inquam, quam nec coluisti, sed sponte unica noctis officio terra emisit; & quereris me tot populorum Ninive agentium miseratione tangi, quorum tanta pars sine nullo impio gestu me provocavit, sine ratiocinandi facultate caret; ubi tot bruta, officium meum, genus animalium errandi incapax, in eadem cum caeteris vita, non sceleris communiōne versantur?

Quid inde post factum Ninive munus suum Jona acciderit, incertum. Ejus sepulchrum Mosul, quam veterem Ninivem credunt, Orientales ostendunt, vitam egisse, ac tandem fato ibi factum persuasit. Locus est magnificè erecta Moschaeta etiam Turcis religiosus. Palaestini in patriam rediisse contendunt, ubi etiam S. Hieronymi aetate viri sancti monumentum visebatur. Nostra etiam aetate Turca vicum Get. Opher tenentes, mansolam Jona cum edicula subterranea intra Moschaam tantam religione venerantur, ut ne ingredi quidem calcatis pedibus permittant.

Pseudo-Epiphanius, & Pseudo-Dorotheus narrant, Jonam in Judaeam regressum, cum obiectam à gentilibus suis oraculorum in Ninive fallaciam exprobrantium dedecus ferre non posset, relicta patria, Sur, facile Tyrum Phoenicis, unà cum matre sua confugisse; ubi vitam cur-

fu

fu perado, in tumulum Judicis Cenezei illatus jacuerit. Iste Cenezæus Judex facile Othonielem Judicem Israelis, Cenezæum origine, designat (g); qui tamen è Tribu Juda, natus facile sepulturae in

regione sua mandatus est; quare communem cum Jona sepulchrum obtinere potuisse vix credimus. De reliquijs & cultu Jonæ consulas Vitas Sanctorum V. T. D. Baillet ad 21. Septembris.

IN MICHÆAM PROLEGOMENON.

Michæas è Tribu Juda, è Morathi modico vico ad Eleuteropolim in plaga meridionali Jerusalem oriundus, munus exercuit sub Regibus Juda Joathan, Achaz, & Ezechia, 50. circiter annorum spatio. Hunc aliqui præposterè confundunt (a) cum Michæa filio Jemla, Prophetâ sub Achab Rege Israel (b), cujus nulla scripta suppetunt. Pseudo-Epiphanius, ceterique ejus fidem sequuti, è Tribu Ephraim, & vico Marathi accersunt: sed quis locus Marathi in Tribu Ephraim? Legimus quidem Josue 15. 59. Mareth, sed in Tribu Juda; & Marefa, Maressa, Marisa, Morathi ad eandem Tribum spectabant. Quare Authores illos confudisse Marefam cum Maratha facile credimus. Neque inviti suspicaremur, Morathi, Marefam, Marissam, Marefam unum eundemque vicum ad Eleuteropolim designasse [e]. Chaldeus habet Marefam pro Morathi (d); quæ duo nomina ex eadem radice deducta unum idemque significant (e). Pseudo-Dorotheus testatur, Prophetam sepulture datum in Polyandro Enakim, nempe in Coemeterio Enacim: quod in eam nos sententiam adducit, ut Marathi in Tribu Juda ad Eleuteropolim, non secus ac Marefam & Morathi, constituamus. Nunquam enim Enacim in Tribu Ephraim sedem habuerunt, sed in montibus Juda, in urbe Ebron locisque subiectis.

Oracula dedit Michæas aequè in duo Regna Sumariæ & Juda. Suppar fuit Isaia, quamvis in Prophetiæ munere tempore inferior. Legimus apud illum ingens fragmentum ex Isaia (f) deductum. Primò autem ætamnis Samariæ à Salmanasare captæ, atque in acervum lapidum redactæ occupatur (g). Deinde obversis in Judam oculis, adventum Sennacherib, inferendaque ab ipso in Judæam mala non obscure minuitur (h). Dein iterum ad Regnum Israel, cujus regnantem passim licentiam corripit, adjecit de imminente captivitate minis; ac inde orationem cogit post factas de solvenda demum captivitate promissiones (i).

Novum sermonem cap. 3. ineunte exorsus, Judicibus & Pseudo-Prophetis Jacob crudelitatem & avaritiam exprobrat: pa-

ribus etiam in Principes Israel invehens, id tandem committendum dicit, ut Sion quasi ager exaretur, & Jerusalem in acervum lapidum, ac tandem mons Templi in excelsa sylvarum redigatur.

Oraculum illud rerum potente Ezechia à Propheta editum, Jeremiâ 26. 18. docente intelligimus. Ipse enim Jeremias eo vaticinio opportunè usus est; ostendens enim, paria ac Michæas in Jerusalem se pronunciasse, ab imminente sub Joachimo letho sese liberavit (k).

Post tristitia in Judæam oracula, ad lætiora conversus Propheta, felicem aded statum prædicit, ut facile legentibus innotescat aliud spectare virum, quam tempora post captivitatem Babylonicam. Erat illi præ oculis Messia Regnum & Ecclesiæ constitutio (l). Cum tamen tot felicitatum cursus brevi quadam calamitate intercipiendus esset, ita rem totam exposuit, ut brevius complexus videatur, quæ de bello Gog in Sanctos fusijs Ezechiel profequitur. Vide Ezech. c. 38. & 39. Pristina deinde studia resumens, oriturum dicit in Bethleem Principem super omnem latè Israel regnaturum (m), cujus futura esset coæva eternitati generatio. Ejus politiam omnem & Regnum inter utrasque mundi extremitates definitum profequitur. Suscittandos à Deo pandit septem Pastores vel octo Principes, qui regionem Assur & terram Nemrod iure armorum sibi vindicabunt; quod nos de Dario Hystaspis ac septem conjuratis, Magorum occisione, Imperium Perfarum post extinctam Cyni familiam invadentibus dictum intelligimus. Tum ad Hebræos conversus Propheta, florentem eorum statum post Regnum Darii & post Macchabaos describit; plura identidem adjungens ad Ecclesiam Christi unice pertinentia.

Capita 6. & 7. tertiam & postremam orationem, seu potius prolixam contra iniquitates Samariæ querelam continent (†). Excurrit deinde ad everfionem & mala Babylonis (n), restitutionem Urbium Israel, Regni illius amplitudinem, incolarum felicitatem, uti & obtinenda à Deo beneficia; eo artificio singula profequutus, ut futuram simul Israelis, simul Ecclesiæ felicitatem designet, hanc re & cumulatam, illam verò specie tantùm & imperfectam. Tempus & genus mortis aequè latent. Pseu-

q Judic. 8. 9. 10.

a Aban. in Synops. Pseudo-Epiph. Pseudo-Dorotheus. Euseb. Chron. Alex. xander. Sozomen. lib. 7. c. 29. b 3. Reg. 22. 8. &c.

c Ita sentiunt Vatablus, Montanus, Isidorus, Masius in Josue 15. d Chald. in Mich. 1. 1. e Vide Mich. 1. 14. 15.

f Confer Mich. 4. 1. 1f. 2. 2. & 1f. 4. 15. cum Mich. 4. 13. g Mich. 1. 6. 7. h Mich. 1. 9. 13. 14. 15.

i Mich. cap. 2. per totum.

k Jerem. Ibid. ver. 6. &c.

l Cap. 4. usque ad ver. 11.

m Mich. 5. 2. &c.

† Cap. 6. totum & cap. 7. 1. 7. n Cap. 7. 8. 10.

Pseudo-Epiphanius, & aliqui ex Græcis fidei nihilo certioris, dejectum narrant, mandante Joram filio Achabi, ejus in dicendo carpendoque Regis scelera libertate offenso. Addunt illi, sepulturae mandatum in coemeterio, sive juxta coemeterium Marathi patriæ suæ. S. Hieronymus Epist. 27. seu Epitaph. Paulæ, sepulchrum ejus Morathi spectari testatur; & Sozomenus lib. 7. cap. 29. tradit, viri Sancti corpus divinitus revelatum fuisse Zebennio Episcopo Eleuteropolitano sub Theodosio Magno,

eoque indicio inventum in loco, cui nomen Beretsate, quod facile corruptione quadam ex Morathi formatum est. Porro locum illum 10 stadiis ab Eleuteropoli situm dicit. S. Hieronymo urbs Marefa gemino ab eadem urbe lapide distat, quod ferè in idem recidit.

Stylo uritur brevi, conciso, præcipiti, obscuro, Ofce stylo simillimo; quod autem vivido quodam igne inardescat, & ex uno in aliud subito transvolet, idèd durus est, minusque legentibus pronus.

IN NAHUM PROLEGOMENON.

QUÆ ad vitam resque à Nahum gestas pertinent, aequè omnia latent. Unum hoc tradit Scriptura (a), nimirum ex Elcesai originem duxisse; quamquam de nomine quidem, non de re etiam constat. Sunt enim, qui ortum in Begabor & patrem habuisse Elcesai (b) contendunt. Verùm S. Hieronymus & Interpretum plerique natum in Elcesai vico Galileæ, cujus vestigia ætate viri sancti supererant, maluerunt. Hujus loci nomen, cum nusquam alibi in Sacra Scriptura, nec apud Josephum legatur, situm habet incertum; nec magis constat de Begabor. Alii (c) constitunt ad Emmaus, duabus vel tribus leucis à Jerusalem, ubi olim sepulchrum Nahum in vico Betogabra, hodie Giblin, juxta Emmaus monstrabatur. Verùm Pseudo-Epiphanius in Vitis Prophetarum, Begabaran in Transjordana rejicit; ex quo facilis conjectura, indicasse illum Bethabaram, in eadem regione satis proximè ad amnem sitam (d). Sæpius litera bain pronunciat, ut G; ita è Bethabara factum Bethogabra. Sed negotium facit idem Author, è Tribu Simeon virum accersens; Bethabara enim nimis longè à regione ejusdem Tribus distabat; nec Elcesai minus aberat. Verùm qui natum in Elcesai Prophetam constituunt, nihil de Tribu designant. Chaldeus pro Elcesai habet Beth-kess, & Tagim Beth-kossi. Nihilo tamen ex ea re doctores efficiuntur; cum aequè omnia loca ista lateant. Ferunt in pace diem clausisse, atque in Begabara patriæ suæ sepulturae mandatum.

a Nahum 1. 1.

b Quidam apud Hieron. Pseudo-Epiphani.

c Vide Quares. t. 1. pag. 306.

d Vide Hieron. in loc. Pseudo-Isid. Vit. Proph. appellat Bethafarim, seu Bethabaram; & Chronicon Paschale Bethabaram.

mento. Vix credo similes ingenii igniculos apud prophanos, neque majorem in descriptionibus sive magnificentiam sive pompam occurrere. Quo tempore Prophetam egerit, non satis inter Scriptores convenit. Captivitatem Ninive ante centum, quindecim ab eventu annos prædixisse illum, Josephus Historicus (e) testatur; quo ad Regnum Achaz Regis Juda deducitur; quamquam ipse vetustiore etiam, nempe sub Joathan constituit. Judæi (f) sub Manasse malunt. S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. inter Danielelem & Ezechielem, præmente scilicet captivitate; nos cum S. Hieronymo everfionem Ninive sub Ezechia, post expeditionem Sennacherib in Ægyptum & Judæam, vaticinatum constitutum. Non obscure captam No-Ammon (g), Urbem Ægypti exprimit, quam à Sennacheribo ante bellum in Ezechiam, domitam scimus. Minas pariter audaciores Rabfacis (h), & violentum Sennacheribi consilium, atque sumptam de illo ultionem (i) veluti res jam præteritas commemorat. Innuit etiam dispersionem & captivitatem Israelitarum (k). De Juda sic agit, quasi in regione sua versans, statuta per annum solemnia celebraret (l). His omnibus inducimur ad constituendum Virum ante annum 15. Ezechia. Ninive captivitatem ab eo prædictam alteram planè fuisse oportet à prima sub Sardanapalo (m) diu ante Sennacheribum. Altera proinde designanda erit sub Nabopolassare, patre Nabuchodonosoris Magni, & sub Astyage patre Cyri, quæ componitur cum anno Per. Jul. 4088. & A. M. juxta Uffensium 3378. nempe cum anno 16. Josiæ Regis Juda, in quem Ninive everfionem S. Hieronymus Præf. in Jon. consignat. Hanc urbem Tobias cap. 14. in Græco 16. captam à Nabuchodonosore & Assuero dicit; quæ duo nomina pro Nabopolassare & Astyage usurpantur.

Plura hujus obsidionis & singularia ex Nahum discimus; nimirum captam Urbem ex inundantium aquarum eruptione [n],

e Antiq. lib. 9. cap. 11.

f Seder Olam & Grot. hic. Vat. Mont. Sixtus Sen. Genebr.

g Cap. 3. 8.

h Nahum 2. 13. i Nahum 2. 11. & 1. 9. 11. 13. 15. k Nahum 2. 2. l Nahum 1. 15.

m An. Per. Jul. 3966.

n Nahum 2. 6. & 1. 8.